Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25959
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Quid facimus. quia hic homo multa signa facit. Quid inquiunt facimus? quia hunc hominem tanta signa per orbem terrarum fecisse uidemus. Dolent quidem et magno odio habent. quod hic homo. homo uidelicet xpistus ihesus. quem illi non deum. sed solum hominem fuisse estimant. tam multa signa salutis et gratie. tam multa signa celestium sacramentorum in ecclesia fecit. et cottidie facit. et quod omnis pene mundus in illum credit. Iam enim ubique terrarum dispersi. locum suum et gentem amiserunt. in quibus romani quod interpretatur tonantes. id est pater et filius et spiritus sanctus. per fidei sacramenta potenter inhabitant. Et quia fidem que est in xpisto ihesu semper ut diximus impugnare non desinunt. semper concilium peruersitatis sue contra dominum saluatorem. iam eternaliter in celis regnantem colligunt. satis congrue nos supra memoratum cantum COLLEGERUNT. singulis annis tempore dominice passionis. quasi eisdem perfidis iudeis insultando canimus. et donec uniuersalis illorum euersio in fine mundi fiat. nunquam cantare cessabimus.

Postquam autem facta generali illorum euersione. coadunati et consociati filiis ecclesie fuerint. ipsi quoque in nomine crucifixi saluatoris. una nobiscum pari concentu. et unanimi fide eundem cantum cantaturi erunt. et cui patres illorum in passione insultabant dicentes. aue rex iudeorum. hunc illi uera confessionis fide laudabunt et confitebuntur regnantem et uiuentem in secula SECULORUM. AMEN

IN CENA DOMINI.
SECUNDUM IOHANNEM.

ANTE. DIEM. FESTUM PASCHE. SCIENS IESUS QUIA VENIT hora eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem. cum dilexisset suos qui erant in mundo. in finem dilexit eos. ET RELIQUA.

OMELIA LECTIONIS EIUSDEM.

SACRO. SANCTA HEC EVANGELII LECTIO. IN QUA